

68. Prop. 2^a. *Impossibile non est duo perfecte similia existere.*

Probat. Illud, quod est impossibile, ne mente quidem cogitari potest. Atqui perfectam similitudinem duorum entium concipere nobis licet; nam qualitates, quae in una re sunt, in alia etiam, atque in eodem gradu, ac in illa, cogitare possumus. Ergo perfecta similitudo duorum entium non est impossibilis.

69. Obiic. 1^o Si Deus duas res perfecte similes crearet, aliquid sine ratione sufficiente ageret, quia nulla ratio existentiae utriusque excogitari potest. Atqui Deus, utpote sapientissimus, aliquid sine ratione sufficiente agere non potest. Ergo.

70. Resp., *Neg. mai.*; *conc. min.*; *neg. cons.* Propositio maior falsa est, tum quia ratio, ob quam Deus res extra se producit, uti alias ostendimus, in ipso Deo quaerenda est, tum quia, si haec ratio in rebus quaeratur, nihil causae est, cur valde dissimilia, non vero perfecte similia ad ordinem mundi efficiendum aliquid conferant.

71. Obiic. 2^o Si duo perfecte similia existerent, unum ab altero nullo modo differret. Atqui duo, quae inter se nullo modo differunt, sunt una, eademque res. Ergo.

72. Resp., *Neg. mai.* Etenim, etsi duo perfecte similia secundum qualitates, harumque gradus non differant, tamen secundum substantiam unum eorum non est aliud. Ex quo vides hac obiectione notiones *identitatis*, et *similitudinis* ab adversariis perperam confundi. Audiatur s. Thomas: « Identitas ponit unitatem in essentia secundum numerum . . . , aequalitas, et similitudo . . . non important unitatem quantitatis, vel qualitatis in numero, sed sufficit quod sint idem specie. Haec autem unitas est in diversis suppositis; et ideo aequalitas, et similitudo simul cum unitate important distinctionem ⁴ ».

ART. IV. De entium oppositione

73. Superest, ut de rerum *oppositione* aliquid innuamus; siquidem « distinctio aliquorum, aiente Aquinate, habentium unam naturam saltem generis, esse non potest, nisi ratione alicuius oppositionis: unde invenimus quod cuiuslibet generis dif-

etus, quos plantae eiusdem speciei producant, aut similes esse partus, quos bruta eiusdem speciei edunt ?

⁴ *In lib. I Sent., Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 2.*

ferentiae sunt oppositae ¹ ». Iam *opposita* ea dicuntur, quae aliqua ratione secum pugnant ²; et quoniam diversa est ratio, ex qua haec repugnantia effici potest, diversae oppositionis species existunt. Enimvero oppositio rerum vel ex relatione unius ad alteram, vel ex eo, quod una alteram excludit, enascitur. Si primum, oppositio dicitur *relativa*. Huiusmodi oppositio appellatur *minima*, quia distinguit tantum duo extrema, inter quae intercedit ³. Sin alterum, ea potest esse aut *contraria*, aut *privativa*, aut *contradictoria*.

74. Oppositio contraria inter ea existit, quae se ab eodem subiecto invicem expellunt; e. g., contrarie opposita sunt *calor*, et *frigus*, quia fieri nequit, ut idem corpus sit simul calidum, et frigidum. Ex quo perspicitur contraria esse non posse, nisi quae ob diversitatem formae inter se differunt. Unde s. Thomas: « Contrarietas est differentia secundum formam ⁴ ». Oppositio *privativa* est inter aliquam qualitatem, quam natura alicuius subiecti expostulat, et illius qualitatis defectum, e. g., inter visum, et caecitatem in homine. Denique oppositio *contradictoria* est repugnantia inter ens, et non ens. Quare contradictorie opposita eiusmodi sunt, ut nullum medium inter ea existere possit, quia nihil medii est inter *esse*, et *non esse* rei.

CAPVT IV.

De veritate entium

ART. I. Explicantur nonnullae notiones circa veritatem

75. Veritas spectat *esse* rerum, prout istud ad intellectum aliquo modo refertur. Quapropter veritas in universum considerata definitur: *Adequatio*, sive *convenientia rei, et intellectus*; et falsitas: *inaequalitas rei, et intellectus* ⁵.

76. Iam res ad intellectum referri possunt vel quatenus ab illo producuntur, vel dumtaxat quatenus ab ipso cognoscuntur. E. g., omnes res naturales referuntur ad Intellectum Divinum prio-

¹ *Qq. dispp., De Pot., q. X, a. 5 c.*

² De rerum oppositione hic loquimur, non vero de oppositione enunciationum, de qua vid. *Log.*, par. I, c. II, art. 6, p. 33, vol. I.

³ Haec oppositio, uti paulo ante adnotavimus, realem distinctionem inter Personas Divinas constituit.

⁴ ¹² 2^{ae}, q. XXXV, a. 4 c. — ⁵ I, q. XVI, a. 1 c.

ri ratione, quia ipsae ab Intellectu Divino non solum cognoscuntur, sed etiam esse suum accipiunt; ad intellectum autem humanum posteriori ratione, quia ab ipso dumtaxat cognoscuntur. Ex his enascitur divisio veritatis in *metaphysicam* et *logicam*. Veritas metaphysica consistit in convenientia rerum naturalium cum Intellectu Divino, a quo pendent¹. Veritas autem logica, ut alibi diximus², posita est in convenientia conceptionum intellectus nostri cum rebus, quas representant.

77. De veritate metaphysica hic a nobis agitur, ad cuius notionem, quemadmodum ex dictis colligitur, duo requiruntur, eaque sunt *entitas rei*, atque *adaequatio eius ad Intellectum Divinum*³, quorum primum veritatis fundamentum⁴, alterum eius essentiam, sive, ut aiunt, *rationem formalem* constituit.

78. Ad quam rem errores Wolfii, et Lockii discipulorum sequenti Propositione explodimus:

Ratio formalis, sive essentia veritatis neque in ipsa entitate rei, ut Wolfiani docent⁵, neque, quemadmodum Lockiani tenent, in convenientia existentiae realis rerum cum ideis intellectus humani posita est.

Probatur prima pars. Si entitas rei veritatem eius constitueret, verum non adderet rei ullum respectum, sed esset omnino unum, idemque cum eo, proindeque entitas, et veritas non aliud essent, nisi duae voces, quae rem omnino eandem significant. Atqui hoc consecrarium, ipsis Wolfianis concedentibus, est falsum, quia ipsi docent verum non esse ipsum ens, sed proprietatem transcendentalem entis. Ergo ratio veritatis in entitate rei consistere non potest.

79. *Probatur altera pars.* Essentia veritatis rerum ponenda

¹ Etsi res artificiosae, quas nempe homines ex varietate rerum naturalium concinnant, possint metaphysice verae appellari, quatenus consentiunt cum ideis exemplaribus, quae in eorum intellectu sunt, tamen veritas metaphysica hic a nobis consideratur dumtaxat, prout est propria rerum naturalium, quia Ontologia non de principiis, legibusque artium, sed de supremis principiis entis, seu rerum naturalium disputat.

² Cf *Criterion.*, c. I, art. 1, p. 224-225, vol. I.

³ Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. I, a. 8 c.

⁴ Hoc sensu accipiendum est illud s. Augustini: *Verum est id, quod est; Soli.*, lib. II, c. 5.

⁵ Horum opinionem nuper amplexus est Wittenbachius, *Brevis descriptio Institutionum metaphysicarum; Ontol.*, c. 3, § 4, Gandavi 1826.

non est in intellectu, ad quem res *per accidens*, sed ad quem *necessario*, seu *per se* referuntur. Atqui res necessario, seu per se referuntur ad Intellectum Divinum, per accidens autem ad intellectum humanum, qui ipsis rebus indiget conformari, ut verus dicatur. Ergo veritas rerum in convenientia sui cum Intellectu Divino, non autem cum humano ponenda est.

ART. II. *Omne ens esse verum ostenditur*

80. Explorata notione veritatis, demonstramus sequentem Propositionem:

Quidquid est in natura rerum, est verum.

Probatur. Veritas rerum naturalium in consensu sui cum ideis archetypis, seu exemplaribus Intellectus Divini posita est. Atqui res naturales accuratissime respondent exemplaribus, secundum quae Deus illas condidit. Ergo quidquid in natura rerum est, est verum.

81. *Minor* ita facile demonstratur: Si res naturales non accuratissime responderent exemplaribus, secundum quae Deus illas condidit, dicendum foret Deum aut nescivisse, aut non potuisse res condere, quales in se intelligit. Atqui illud infinitae sapientiae, hoc infinitae potentiae Dei repugnat. Ergo repugnat res naturales non accuratissime respondere exemplaribus, quae in Intellectu Divino reperiuntur.

82. Hinc scite a Scholasticis sancitum fuit *verum cum ente converti*; scilicet omne verum est ens, quia veritas rei, ut diximus, in entitate rei fundatur, et omne ens est verum, quia omne ens ordinem ad Intellectum Divinum necessario habet¹.

83. Ex his intelligitur nullam falsitatem metaphysicam in rebus inveniri posse, et, si quae res falsae dicuntur, id veluti *improprie* dictum accipiendum esse, nempe, ut s. Thomas inquit, *in ordine ad intellectum nostrum*, ad quem res *per accidens* referuntur². Scilicet, si res referantur ad intellectum humanum, quodammodo falsae dici possunt, quia sunt quaedam, quae etsi vera in se sint, tamen ita natura sua comparata sunt, ut sensibus nostris « quae non sunt, aut qualia non sunt », apparere queant. Ita auricalcum per se, perinde ac aurum, est verum,

¹ Cf s. Thom. *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. I, a. 2 ad 1.

² *Op. cit.*, q. I, a. 1 c.

quia natura eius, non secus ac auri, exemplari Mentis Divinae consentanea est; at quia speciem, seu similitudinem auri habet, proindeque occasionem praebet intellectui nostro, ut illud esse aurum iudicet, falsum quodammodo dici potest ¹.

ART. III. *Utrum una sit tantum veritas, an plures* ²

84. Ontologi docent unam esse veritatem, nempe Deum, ceterasque res non nisi veritate Eius esse veras; ex quo colligunt, ut alibi dictum est, mentem humanam non posse ullum verum cognoscere, nisi Deum intueatur, quia, cum Deus sit unica, eaque summa Veritas, nulla res vera, alibi, quam in Deo, apprehendi potest.

85. Prop. *Singulae res naturales, singulaeque conceptiones intellectus propria veritate gaudent.*

Probatur. Etsi esse cuiusque rei sit quaedam participatio *τὸν* Esse Dei, et lumen intelligibile intellectus humani sit quaedam participatio luminis intelligibilis Dei ³, tamen nemo, nisi qui pantheismum profitetur, negare potest esse cuiuslibet rei creatae re ipsa distingui ab *Esse* Dei, et lumen intelligibile intellectus humani in se re ipsa distingui ab intelligibili lumine Dei. Atqui *esse* proprium rerum est fundamentum veritatis ipsarum, ac conceptiones nostri intellectus sunt verae, eo quod per proprium lumen intelligibile veritatem, quae fundatur in rebus, assequimur. Ergo, si *esse* cuiuslibet rei re ipsa distinguitur ab *Esse* Dei, et lumen intelligibile intellectus humani re ipsa distinguitur ab intelligibili lumine Dei, consequens est quamlibet rem, et quamlibet conceptionem propria veritate gaudere ⁴.

¹ I, q. XIV, a. 1 c.

² Aliam questionem, quae circa veritatem versatur, utrum nempe dentur veritates, quae sint necessariae, immutabiles, et aeternae, hic omitimus; nam paulo ante ostendimus contra Cartesianos veritates, quae ad essentias rerum spectant, esse necessarias, aeternas, et immutabiles; et in *Criteriologia* refutavimus Progressistas, qui veritatem ab una ad aliam aetatem progredi obgannunt.

³ Hoc sensu omnes res, et vis intellectiva mentis humanae ad Deum, tamquam ad primam, et supremam sui causam relatae considerantur; ac proinde omnes res naturales, omnesque conceptiones nostri intellectus veras ex veritate Dei esse quodammodo dici potest. Cf s. Aug., *Solil.*, lib. I, c. I, n. 3.

⁴ Cf s. Aug., *Enarr. in Ps. IX*, n. 2 et s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist.

Audiat D. Thomas: « Dicendum quod ratio veritatis in duobus consistit, in esse rei, et in apprehensione virtutis cognoscitivae proportionata ad esse rei. Utrumque autem horum quamvis reducatur in Deum, sicut in causam efficientem, et exemplarem; nihilominus tamen quaelibet res participat suum esse creatum, quo formaliter est; et unusquisque intellectus participat lumen, per quod recte de re iudicat, quod quidem est exemplatum a lumine increato. Habet etiam intellectus suam operationem in se, ex qua completur ratio veritatis. Unde dico, quod sicut est unum esse Divinum, quo omnia sunt, sicut a principio effectivo exemplari; nihilominus tamen in rebus diversis est diversum esse, quo formaliter res est; ita etiam est una veritas, scilicet divina, qua omnia vera sunt, sicut principio effectivo exemplari; nihilominus sunt plures veritates in rebus creatis, quibus dicuntur verae formaliter ¹ ».

CAPVT V.

De bonitate entium

ART. I. *Quid sit bonitas, et quomodo ea sit proprietas entis, explicatur*

86. Ens, prout ad appetitum refertur, dicitur *bonum*. Ut autem notio *bonitatis* recte cognoscatur, opus nobis est in primis declarare, in quo perfectio consistat, nam bonitas in perfectione fundatur.

87. *Perfectum* id dicitur, cui nihil eorum, quae ad ipsum constituendum requiruntur, deest, quodque tanta pollet virtute, quanta ad operationem sui propriam exercendam opus ei est, atque ita comparatum est, ut proprium finem sua operatione consequatur. E contrario, imperfectum vocatur id, quod vel uno, pluribusve eorum destituitur, quae ad ipsum constituendum necessaria sunt, vel actionem sui propriam exere ab aliqua causa prohibetur, ideoque finem suum non assequitur. Ita imperfectum est horologium, si una, pluresve partes in eo desiderantur, vel si, cum nulla parte desituatur, aliquo vitio laborat, ob quod horas vel perperam, vel nullo modo indicat.

XIX, q. V, a. 2 *sol.* Ex quo patescit ontologismum vel ex hoc capite esse pantheismo adfinem.

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 2 *sol.*

88. Porro *absolute* perfectum a *relative* perfecto distinguendum est. *Absolute* perfectum, ut suo loco ostendemus, est unus Deus, quia quidquid entis esse potest, in Eo nullo limite circumscriptum invenitur. *Relative* perfectae sunt res creatae; nam unaquaeque illarum, quippe quae per diversa genera, diversasque species discriminatur, tantum perfectionis habet, quantum genus, quo continetur, exoptulat¹.

89. Ex notione perfectionis iam explorata facile est demonstrare has propositiones:

Prop. 1^a. *Notio perfectionis non constituit notionem bonitatis, sed est huius principium, et fundamentum.*

Probatur prima pars. Ens dicitur perfectum, prout in se spectatur. Atqui ens, non prout est in se, sed prout ordinem ad aliud habet, vocatur bonum, quippe quod dicitur bonum, prout ad appetitum refertur. Ergo notio bonitatis ex notione perfectionis non constituitur.

90. *Probatur* altera pars. Ens ex eo, quod est perfectum, est principium, ex quo aliquid perfici potest. Atqui quaelibet res naturaliter appetit id, ex quo ipsa perfici potest². Ergo ens ex eo, quod est perfectum, est appetibile. Atqui ens, prout ad appetitum refertur, dicitur bonum. Ergo principium, seu fundamentum notionis bonitatis est notio perfectionis.

91. Ex his intelligitur ens non dici bonum ex eo dumtaxat, quod perfectum est, quemadmodum Wolfiani contendunt, sed ex eo, quod, cum perfectum sit, appetibile est; quapropter ratio boni proprie posita non est in eo, quod ens est perfectum, sed in eo, quod est appetibile, et bonum proprie dicitur ens, quatenus est appetibile, non vero quatenus est perfectum³.

92. Prop. 2^a. *Omne ens est bonum.*

Probatur. Omne ens est perfectum, quippe quod, ut ex dictis patet, fieri non potest, ut quaelibet res essentia sua, ac proinde iis, quae essentiae respondent, nempe virtute agendi, et fine sibi proprio per se destituatur. Atqui ens, quatenus est perfectum, est appetibile, et quatenus est appetibile, est bonum. Ergo omne

¹ Advertendum est res creatas, si ad Deum relatae considerentur, imperfectas dicendas esse, quia limes, quo esse cuiuslibet rei creatae coarctatur, quaedam imperfectio est. Cf s. Aug., *Enarr. in Ps. XCVIII*, n. 12.

² Cf *Dynam.*, c. V, art. 1, p. 138, vol. I.

³ Cf s. Thom., I, q. V, a. 1 c.

ens est bonum. Hanc ob rationem bonum, aequè ac unum, et verum, cum ente *converti* dicitur, quia omne bonum est ens, et omne ens, quatenus ad appetitum refertur, est bonum⁴.

93. Exinde perspicitur bonitatem, prout est transcendentalis proprietas rerum, in eo consistere, quod res, prout est ens, appetitur. Bonitas, si hac ratione spectetur, dicitur bonitas *metaphysica*, quae a bonitate *physica*, et bonitate *moralis* distinguitur. Nimirum bonitas metaphysica in eo consistit, quod res, prout est ens, appetitur; unde bonum *metaphysicum* est ipsum esse rei ex ea parte spectatum, quatenus appetitum movere potest. Bonitas physica autem rei in eo posita est, quod res, non prout est ens universe spectatum, sed prout est aliquod determinatum ens, appetitur; hinc bonum *physicum*, seu *naturale* dicitur omne ens determinatum, quod aliqua natura, prout ab ipso perficitur, appetit⁵. Denique bonitas moralis ex eo existit, quod res appetitur, prout cum regulis morum consentit.

ART. II. *Nonnullae theoriae circa malum explicantur*

94. Bono opponitur *malum*. Iam malum dicitur defectus aliquius proprietatis, quam natura cuiusdam entis exoptulat quidem, sed non ita ut, ipsa sublata, res tollatur. E. g., caecitas in homine est malum, quia est defectus visionis, quae ad naturam animalis perfecti constituendam requiritur, ita tamen, ut etiamsi homo, ob vitium oculorum, visione destituatur, homo esse non desinat⁶. Hinc 1^o malum non est positum in aliqua entitate, et ne in simplici quidem defectu entitatis, sed in illo defectu entitatis, qui *privatio* dicitur⁷; privatio enim, uti antea dictum est⁸, denotat defectum entitatis in re, quae illam naturaliter habere debet. E. g., « carentia vitae in lapide potest dici defectus, sed non malum; homini vero mors est et defectus, et malum⁹ ».

2^o Malum non ponit absolute aliquod ens, nec tollit absolute

¹ 1^a 2^{ae}, q. XVIII, a. 1 c.

² De bono physico et metaphysico loquitur s. Thomas, ubi inquit: « Ens est perfectivum alterius non solum secundum rationem speciei, sed etiam secundum esse, quod habet in rerum natura »; *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XXI, a. 1 c. — ³ I, q. XLVIII, a. 4 c.

⁴ Cf s. Aug., *De mor. Man.*, lib. II, c. 4, n. 6.

⁵ Pag. 6. — ⁶ *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. 1, a. 2 sol.

aliquod ens, sed negat aliquod ens in subiecto, quod ad illud habendum naturaliter comparatum est ¹; nempe non significat *non ens* absolute sumtum, sed *non ens*, seu privatio, quae est in ente, veluti subiecto sui.

3° Malum quodammodo invenitur, et quodammodo non invenitur in natura rerum, nempe non est in natura rei, veluti pars eius, quia malo nihil reale respondet in re, cui ipsum tribuitur; sed in natura rei, tamquam in subiecto sui, invenitur, quia in re, cui tribuitur, reapse est defectus alicuius realitatis, quam natura eius ex postulat ². E. g., cum dicitur, *Petrus est caecus*, illud *est* non denotat quidem caecitatem habere aliquam realitatem in Petro, sed caecitatem re ipsa cum Petro esse coniungendam.

95. Explorata notione mali, in promptu est sequentes propositiones demonstrare:

Prop. 1°. *Malum in aliquo bono fundatur.*

Probatur. Malum, ut modo diximus, cum non sit ens, sed defectus entis, seu privatio, non potest existere per se, sed oportet, ut in aliquo subiecto existat. Atqui omne subiectum est bonum. Ergo malum in bono fundatur ³.

96. Prop. 2°. *Causa mali non est malum, sed bonum.*

Probatur. Malum est defectus boni, ad quod ens naturaliter comparatum est. Atqui « quod aliquid deficiat a sua naturali, et debita dispositione, non potest provenire, nisi ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem ». Ergo malum aliquam causam ex postulat. Atqui « esse causam non potest convenire, nisi bono: quia nihil potest esse causa, nisi in quantum est ens; omne autem ens, in quantum huiusmodi, bonum est ⁴ ». Ergo causa mali est bonum.

97. Hic autem adnotandum est bonum *per accidens* causam mali dici posse; ita ut malum ex bono oriatur non propter i-

¹ I, q. XLVIII, a. 2 ad 1.

² In lib. II Sent., Dist. XXXVII, q. I, a. 1 ad 2. Cf s. Aug., *Contr. Iul. Pel.*, lib. III, c. 24, n. 56.

³ Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. III, c. 11. Idem sanctus Doctor advertit: « malum non est, sicut in subiecto, in bono, quod ei opponitur, sed in quodam alio bono: subiectum enim caecitatis non est visus, sed animal »; I, q. XLVIII, a. 3 ad 3.

⁴ I, q. XLIX, a. 1 c.

psam virtutem efficientem causae, sed propter defectum, qui causae efficienti accidit, vel propter aliquod impedimentum, quod ipsi opponitur. Nam « malum, ut s. Bonaventura argumentatur, eo modo, quo habet esse, eo modo habet et fieri; et quoniam malum privatio est, et defectus, hinc est, quod sicut malum esse non est aliquid vere esse, sic nec malum effici est vere ab aliquo fieri, ut efficiente, sed vi deficiente ¹ ». E. g., imperfectio motus procedit in animali non ab ipsa vi motrice, prout est vis, sed ex eius debilitate, vel ex membrorum defectu. Quod si interdum malum ex ipsa virtute agentis oritur, hoc praeter eius intentionem, ac proinde etiam *per accidens* ab illa efficitur; nam, cum omne agens agat propter bonum ², fieri nequit, ut agens sua actione ad malum spectet, sed tantum fieri potest, ut spectet ad bonum, cum quo illud malum coniungitur.

98. Prop. 3°. *Aliquam naturam, seu substantiam malam dari omnino repugnat.*

Probatur contra nonnullos veteres, qui, teste s. Augustino, « dicebant Deum creasse malas naturas, atque substantias, in quantum sunt naturae, atque substantiae ³ »: Malum non est aliquid reale, quod per se existit. Atqui natura, sive substantia est aliquid cum reale, tum per se existens, sive subsistens. Ergo malum aliqua natura esse non potest ⁴.

99. Prop. 4°. *Dari non potest malum metaphysicum.*

Probatur contra Leibnitium, eiusque asseclas, qui malum *metaphysicum* agnoscunt, atque hoc in imperfectione, sive in limitatione cuiuslibet rei creatae positum esse pertendunt: Malum est defectus alicuius realitatis in aliqua natura, quae illam habere debet. Atqui limitatio sui *esse* non est privatio realitatis, quam ens creatum *natum est, et debet habere*, quia quaelibet res creata limitationem sui *esse* ex postulat, nedum excludit. Ergo res creatae malae dicendae non sunt ex eo, quod illarum esse limitibus circumscribitur. Ex quo perspicitur, quod si Leibni-

¹ In lib. II Sent., Dist. XXXIV, a. I, q. 2 ad arg.

² Cf *Dynam.*, c. V, art. 1, p. 158, vol. I. — ³ *De haeres.*, n. 59.

⁴ Cf s. Thom., I, q. XLVIII, a. 1 c., et s. Aug., *De vera Relig.*, c. 23, n. 4. Hinc intelligis vel ex hoc tantum refelli Lutherum, Flaccum Illyricum, aliosque, qui peccatum originale esse quamdam substantiam malam autumarunt. Cf Bellarminum, *De amissione gratiae* etc., lib. V, c. 1 sqq.

tii doctrina vera esset, « sequeretur, ut iam s. Thomas advertit, quod quaelibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei; utpote, quod homo esset malus, quia non habet velocitatem caprae, vel fortitudinem leonis ¹ »; id quod certe ferendum non est ².

ART. III. De pulcritudine

100. Praestat nonnihil delibare de pulcritudine entis, quae cum eius bonitate arcte coniungitur.

Pulcritudo dicitur esse *unitas in varietate* ³. Qua in definitione unitas, non quae omnem compositionem excludit, sed quae ex cohaerentia partium efficitur, intelligenda est.

101. Ut haec notio luculentior fiat, mente reputandum est tria in pulcritudine distingui oportere, nempe *rationem formalem*, sive *essentiam*, *effectum*, et *fundamentum*. Ratio formalis pulcri in convenientia partium, seu symmetria obiecti consistit. Effectus est delectatio, quam symmetria obiecti, facultati cognitrici in sua claritate affulgens, in animo gignit. Hinc vulgus hominum non aliud vocat pulcrum, nisi id, cuius cognitione delectatur. Fundamentum in bonitate ipsius obiecti situm est; nam animum nostrum non aliarum rerum cognitio delectare potest, quam quae ab eo adpetuntur; animus autem noster adpetere non potest, nisi id, quod tamquam bonum apprehendit. Quapropter si ratio formalis consideretur, pulcrum definiri potest, *id, quod debitam proportionem habet* ⁴; sin effectus, *id, cuius apprehensio placet* ⁵; sin fundamentum, *id quod est bonum*.

¹ I, q. XLVIII, a. 3 c.

² Cf s. Ang., *Contr. advers. Legis et Proph.*, lib. I, c. 4.

³ Cf André, *Essai sur le beau*, Disc. I; *Oeuv. phil.*, avec Introd. et not. par Cousin, 1843.

⁴ Cf s. Ang., *Epist. XVIII ad Coelest.*, n. 2, et s. Thom., I, q. V, a. 4 ad 1.

⁵ Haec notio pulcri a cunctis Philosophis tum antiquis, tum recentibus tradita fuit (cf Spagni e S. I., *De Bono, Malo, et Pulcro; De Pulcro*, sect. I, art. 5, n. 9, et sect. II, n. 20, Romae 1768). Verum ipsa nonnisi effectum, quem pulcrum in nobis gignit, significat. Quocirca oppido decipiatur, qui cum Smitho (*Théorie des sentimens moraux*, trad. par M. Condorcet, Paris 1798) pugnans aliquid esse pulcrum ex eo, quod est delectabile, vel cum Sensistis autumant aliquid esse pulcrum ex eo, quod est utile. Secundum hanc sententiam nihil esset pulcrum per se, sed aliquid diceretur pulcrum ex eo dumtaxat, quod ad animum nostrum refertur. Ast id omnino falsum est. Nam si pulcrum dicitur id, quod propter cohaerentiam suarum par-

At, quoniam pulcrum a ceteris proprietatibus entis propter proportionem obiecti, et delectationem cognoscentis illam discriminetur, ipsum definiri potest, *id, quod, cum multitudine partium sibi cohaerentium praeseferat, manifestatione sui cognoscentem delectat*.

102. Porro pulcrum in *naturale*, *artificiosum*, et *morale* dividitur. Pulcrum artificiosum est illud, quod in operibus artificiosis humani ingenii splendet; haec enim, ut omnibus experientia compertum est, si proportionem inter partes, ex quibus constant, praeseferunt, animum cognoscentis voluptate afficiunt. Pulcrum morale in actionibus humanis invenitur, quatenus haec cum aeternis, ac immutabilibus regulis morum proportionem habent ⁴. Pulcrum autem naturale, ad quod haec tractatio maxime spectat, illud est, quod tum in singulis naturis rerum, tum in mundo, qui ex illis componitur, effulget. Etenim unaquaeque natura ex pluribus principiis constat, quae unitatem eius efficiunt, omnesque naturae ita inter se colligantur, ut unus mundus ex ipsis existat. Hinc pulchrae dicuntur singulae species rerum, et pulcher mundus, qui ex illis componitur.

103. Diximus *singulas species* rerum; nam si res non in notis suis singularibus, sed in sui essentia spectentur, dubitandum non est, quin pulcritudo sit omnium rerum proprietas. Re quidem vera, cum Deus sit naturarum auctor, fieri non potest, ut in ulla natura vel aliquod principium, quod ad ipsam efficiendam requiritur, vel inter principia, quae ipsam efficiunt, ordo desideretur. Quamobrem ne fieri quidem potest, ut quispiam naturam rei penitus cognoscat, nec tamen e cognitione eius ullam voluptatem sentiat. At si in rebus essentiae non considerentur per se, sed prout per notas singulares individuantur, ipsae vel pulchrae, vel deformes esse possunt. Etenim causae proximae, ac immediae rerum singularium sunt aliae res singu-

tium animum delectat, luce meridiana clarius est primam causam, originemque pulcri in ipsis rebus quaerendam esse, quippe quod in rebus partium congruentia invenitur, atque huius cognitio delectationem in animo gignit.

⁴ Hinc s. Thomas de hoc pulcro loquens, inquit: « In hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio eius, sit bene proportionata secundum spirituales rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus idem esse virtuti, quae secundum rationem moderatur omnes res humanas »; ²a ²ae, q. CLXV, a. 2 c.

lares, sive causae naturales. Atqui causae naturales ita secum colligantur, ut actio unius ab actione alterius impediri, aut saltem turbari possit⁴. Ergo fieri potest, ut res singulares aliqua notarum careant, quae ad pulcritudinem constituendam requiruntur².

104. Iam pulcrum naturale in *corporeum*, et *spirituale* dividitur. Etenim nos et cum in re corporea multas partes affabre concinnatas, et cum in substantia spirituali plura principia, quae ordine inter se continentur, contemplamur, quamdam voluptatem persentiscimus. Pulcritudo corporea vocatur *sensibilis*, quia ad res spectat, quae ope sensuum cognoscuntur: spiritualis vero dicitur *intelligibilis*, quia rerum propria est, quae intellectu apprehenduntur³.

105. Deus autem, a quo, ut s. Augustinus ait, *omne pulcrum est*⁴, et qui, ut s. Thomas subdit, « est universorum consonantiae et claritatis causa⁵ », pulcherrimus dicitur. Neque negotium alicui facessat, quod multitudo ad unitatem redacta, quae est essentialis nota pulcritudinis, in Deo, qui simplicissimus est, a nobis cogitetur. Nam, cum nobis certum sit nullam compositionem in Deo esse, intelligimus infinitas perfectiones, quae in Eo sunt, esse ipsum *Esse Dei*, atque absolutam unitatem Eius constituere. Hinc nos Deum veluti pulcherrimum intelligimus, Eumque pulcherrimum nominamus, quia infinitam multitudinem attributorum cum absoluta unitate coniunctam in Eo intelligimus⁶.

⁴ Cf *Criterion.*, c. IV, art. 2, p. 243, vol. I.

Circa opera artificiosa, atque actiones humanas patet opus deforme evadere, si artifex illud non conficiat secundum leges artis, quae ei pulcritudinem conciliare possent, atque turpes esse actiones humanas, quae a pronuntiatibus rationis practicae discedunt.

³ Hinc reiicienda omnino est opinio illorum, qui non aliud pulcrum, nisi quod in sensu incurrit, agnoscunt. Huic opinioni, quae, praeter Sensistas, non paucos Wolffii discipulos, aliosque iam fautores habuit, litavit Heghelius (*Esthétique*, trad. par Bernard, Paris 1860), a cuius doctrina non valde ablusit Giobertius, *Saggio sul Bello*, c. 1, p. 39 sqq., Napoli 1845.

⁴ *Confess.*, lib. IV, c. 10, n. 15, et *Qq. LXXXIII*, q. XLIV.

⁵ 2^a 2^{ae}, q. CXLV, a. 2 c.

⁶ Cf I, q. XIII, a. 4 ad 3, et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 31.

CAPVT VI.

De categoriis in universum spectatis

106. Haec de iis, quae ad ens generatim consideratum pertinent, disseruimus. Antequam de singulis decem categoriis sermonem aggrediamur, haec duo circa ipsas in universum investigare oportet: 1^o quomodo ens sit principium, ex quo categoriae promanant; 2^o quomodo ens per categorias dividatur.

ART. I. Quomodo ens sit principium categoriarum

107. Iam innuimus⁴ ens esse principium, a quo categoriae promanant; siquidem ipsae ens pluribus, diversisque modis determinatum exhibent. Id magis perspicuum fit hoc argumento: Categoriae sunt supremae notiones, ad quas diversa rerum genera referuntur, proindeque supremae notiones, quae de diversis rebus praedicari possunt². Atqui quidquid de aliqua re praedicatur, ad eius *esse* pertinet, quippe quod non potest aliquid cum aliquo coniungi, nisi ipsi *in esse*, scilicet in eo *esse* intelligatur. Ergo categoriae, cum sint suprema praedicandi genera, diversos modos essendi significant, ac proinde *esse* est principium, a quo ipsae promanant.

108. At vox *ens* tribus diversis significationibus accipi potest³. Ipsa enim quandoque illud *esse* significat, quod copulae officio in enunciatione fungitur; e. g., cum dicimus, *Socrates est philosophus*; quandoque autem *essentiam* rei, nempe id, per quod quaelibet res in sua specie constituitur, e. g., *humanitatem* in Socrate, quia per humanitatem Socrates est homo; quandoque tandem actualitatem, sive actualem existentiam rei, nempe id, quo res actu est in natura. Ens hoc tertio modo acceptum, dicitur *ens actuale*.

109. His praestitutis, demonstramus sequentem Propositionem: *Ens, quod tamquam principium categoriarum ponitur, non est illud, quod copulam enunciationis constituit, neque illud, quod essentiam rei simpliciter significat, sed est ens actuale.*

*Probat*ur prima pars contra Kantium⁴, et Rosminium⁵. Cate-

⁴ Pag. 4. — ² Cf *Log.*, part. I, c. I, art. 6, p. 15, vol. I.

³ In *lib. II Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1.

⁴ *Critique de la raison pure; Log. transcend.*, lib. I, sect. 3, § 10.

⁵ *Log.*, lib. II, sez. I, c. 9-11, p. 116-122, Napoli 1857.